



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Subct. 2. Rationibus probatur nostra conclusio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

Quaest. II. Vtrum essentia disting. &c. 7

est, quia verbum est, absolute; & esse significant existentiam. Præterea, quia ait: essentiam esse ens, cuius causa est sola forma; atqui essentia ratione sui non habet causam, ut vos dicitis; ergo ratione existentiae habet illam: ergo identificatur cum illa; quia si non identificaretur cum ipsa, non diceretur ratione alterius à se distincti habere causam, etiam si vniatur cum illo; alias verbum Diuinum ratione humanitatis, cui vnitur, diceretur habere causam.

22 Dices Aristotelem, & Diuum Thomam solum loquutos esse de rebus compositis, non autem de simplicibus.

23 Sed contra; quia Aristoteles clarius de intelligentiis, quam de rebus compositis loquitur, asserendo intelligentias non distingui à propriis existentibus; sed potius essentiam, & existentiam esse idem in illis. 8. enim *Metaphysicae*, textu 16. sic ait: Quaecumque nec sensibilem; nec intelligibilem materiam habent, seipsas sunt ens; & non per aliquid sibi additum; sed ens, & existentia idem sunt; & intelligentiae nec sensibilem, nec intelligibilem materiam habent, sed sunt simplicissime entitates: ergo in intelligentiis idem, & essentia ipsarum. Vnde intelligentiae non sunt, neque existunt per existentiam additam essentiae suae & ab ea re distinctam, atque diuersam.

24 Præterea in abstractis à materia, idem est quidditas, & habens quidditatem, ut Aristoteles ait: 3. *de anima* textu. 9. Sed habens quidditatem est existens: ergo in rebus abstractis, & simplicibus existentia est idem quod essentia.

25 Amplius, si in intelligentiis esset compositio ex essentia, & existentia, ut volunt Thomistae, esset in ipsis potentia; nam essentia habet potentiam ad existendum; sed Aristoteles omnem remouet potentiam ab intelligentiis; nam libro 9. *Metaphysicae*, textu 17. ait: omne æternum carere potentia, & solum ibi excipit caelum; quod habet potentiam ad vbi, ratione cuius est mutabile, & variabile & 12. *Metaphysicae*, textu 3. scribit: In intelligentiis nullam esse potentiam in sua substantia; cuius rei hanc rationem reddit, vtroque in loco; cum omnis, inquit, potentia sit contradictionis, si intelligentiae haberent potentiam, posset esse, & non esse; quare, & motus coelestis, & intelligentiarum, atque adeo ipsius mundi aeternitas tolleretur.

SVBSECTIO II.

Rationibus probatur nostra conclusio.

26 Probatur primo ratione, quia praedicata quidditativa realia non distinguuntur à parte rei ab existentia reali, quae immediate correspondet talibus praedicatis quidditativis; sed praedicata quidditativa realia sunt vera, propria, & realis essentia, & existentia illis immediate correspondens, est existentia propria talis essentiae: ergo essentia propria vera & realis non distinguitur à parte rei ab existentia propria.

27 Prima pars minoris est clara: Tum quia praedicata quidditativa realia sunt primum, & intimum constitutum rei, sine quo nec esse, neque intelligi potest res; sed hæc est definitio essentiae propriae, & vera: ergo definitio essentiae conuenit praedicatis quidditativis, &c. Ergo illa sunt vera propria, & realis essentia. Tum etiam, quia ideo ens, substantia, viuens, sensibile, rationale sunt essentia hominis, quia sunt praedicata quidditativa illius rei sunt vera, propria, & realis essentia.

Secunda Pars non est minus euidens; quia 28 illa est existentia propria alicuius, quae immediate actuat, & actuale reddit id, cuius est existentia; quia existentia est actus essendi simpliciter; sed essentia immediate actualis redditur, & in esse actualis constituitur per existentiam, quae illi immediate correspondet: ergo existentia correspondens essentiae, & praedicatis quidditativis, est propria existentia essentiae, & praedicatorum quidditativorum.

29 Maior præcipui syllogismi est euidens. Quia hæc sunt praedicata quidditativa, quae immediate correspondent existentiae; ens ut sic, existentia ut sic, substantialis, vel accidentalis, & differentia essentialis existentiae; sed hæc praedicata quidditativa communia, & differentia specialis, per quam existentia distinguitur à subsistentia, & aliis, sunt idem cum existentia, & non distinguuntur ab illa, quae eis immediate correspondet, & à quibus constituitur essentialiter, & quidditative existentia: ergo praedicata quidditativa realia sunt idem, & non distinguuntur à parte rei ab existentia reali, quae correspondet immediate talibus praedicatis quidditativis. Minor hæc sic probatur: quia gradus *Metaphysici* communes, & particulares differentia metaphysica alicuius metaphysici constituti, sunt idem à parte rei cum ipso, & non distinguuntur à parte rei villo modo à constituto metaphysico per tales gradus. v. g. ens, substantia, corpus, animal rationale, non distinguuntur à parte rei ab homine, sed sunt idem à parte rei cum illo; sed illa praedicata quidditativa sunt gradus metaphysici, per quos constituitur existentia essentialiter: ergo praedicata quidditativa realia, quibus immediate correspondet existentia, sunt idem realiter cum illa, & nullo modo à parte distinguuntur ab ipsa.

30 Tunc sic: in homine datur vera, & propria existentia, quae immediate correspondet essentiae hominis, & per quam constituitur existentia hominis quidditative in esse talis existentiae distincta ab existentia arboris, &c. Sed essentia ut sic quidditative constituit existentiam, ut iam probatum manet, est idem cum existentia ut sic, & non distinguitur ab illa, quae ei immediate correspondet, & quae constituitur ab essentia ut sic: ergo essentia hominis est idem à parte rei omnino cum existentia hominis, & non distinguitur ab existentia hominis. Consequentia hæc est euidens: quia quiddid conuenit superiori primo intentionaliter, conuenit omni contento sub illo, v. g. quia homo est animal rationale, essentialiter; Petrus etiam est essentialiter animal rationale; & quia homo est risibilis, Petrus est risibilis. Quae veritas innititur illi euidentiſſimo principio Dialectico: Dici de omni; sed essentia ut sic conuenit esse idem realiter cum existentia propria, quam constituit immediate: ergo omni essentiae conuenit esse idem cum existentia propria, quae illi correspondet essentialiter, & quae constituitur ab ipsa; sed essentia hominis est vera, & propria essentia, & existentia hominis vera, & realiter est existentia propria essentiae hominis, & non alterius: ergo essentia hominis est idem realiter cum existentia hominis.

31 Declaratur à simili: ideo essentia albedinis non distinguitur ab ipsa albedine, & essentia quantitatis ab ipsa quantitate, & essentia Angeli ab Angelo nullo modo differt à parte rei, quia essentia illorum quidditative constituit illa, ac proinde per identitatem, quia cum constitutio essentialis sit omnium maxima, debet necessario esse per maximam omnium unionem constitutui cum constituto; sed maxima omnium unio est per identitatem: ergo essentia

sentia constituit rem, cuius est essentia per identitatem maximam cum ipsa; sed essentia hominis constituit existentiam propriam hominis quidditative; sicut essentia ut sic existentiam ut sic; ergo essentia hominis non distinguitur ab existentia hominis.

32 Vigetur amplius, ens in homine & animal rationale in homine non distinguuntur à parte rei, sed sunt omnino idem, ut late supra demonstratum manet contra Scotum; sed ens in homine & esse in homine sunt idem à parte rei sine ulla distinctione: ergo esse in homine & animal rationale in homine non distinguuntur à parte rei; atqui esse in homine & existere in homine sunt idem à parte rei: ergo de primo ad ultimum existere in homine, & animal rationale in homine non distinguuntur, sed sunt idem à parte rei; sed animal rationale est essentia hominis: ergo essentia & existentia hominis nullomodo distinguuntur à parte rei: Minor prima est certa, quia esse, & ens ita sunt idem, ut sint synonyma, & solum distinguuntur tanquam participium sum, est fui, & infinitivum illius; atqui participium verbi, & infinitivum verbi nullo modo distinguuntur; sicut amans, & amare in amante formaliter sunt idem: ergo ens in homine & esse in homine sunt idem omnino, & nullomodo distinguuntur; unde idem est dicere; Petrus est actu, ac dicere, Petrus est ens actu, & idem est, Petrus habet entitatem, ac dicere, Petrus habet esse. Minor illa secundi syllogismi est certa, ut patet ex argumentis Adversariorum, ubi absolute convertunt ipsi esse cum existentia: ergo in eorum sententia esse, & existere sunt omnino idem; & ratio est, quia esse præcise sumptum satis est ad veritatem huius loquutionis de secundo adiacente, essentia est: ergo esse, absolute est existere; consequentia est clara: nam iuxta communem significationem, & conceptionem hominum verbum, est, de secundo adiacente non absolviatur à tempore, sed significat actu esse in rerum natura, quod omnes intelligimus nomine existentia seu per esse existentia.

33 Dices, in homine dari duplicem essentiam, aliam quæ dicitur essentia hominis, alia quæ dicitur essentia existentia hominis, quare essentia existentia hominis non distinguitur ab existentia; quia quidditative constituit existentiam; essentia autem hominis distinguitur à parte rei ab existentia hominis, & in hoc sensu controversatur in hac questione; itaque existentia hominis duplicem essentiam actuatur, videlicet essentiam propriam, & essentiam hominis.

34 Sed contra manifeste, quia vni actui non correspondet duplex potentia; sed vna: atqui essentia est potentia, & existentia actus: ergo vni existentia non correspondet duplex essentia actualis per illam, sed vnica essentia constitutiva propria existentia quidditative, ac proinde idem omnino cum illa, & minime distincta à parte rei ab ipsa, ut patet ex argumentis iam dictis. Maior huius syllogismi est certissima; nam intellectui duplex voluntas, sed intellectus, nec vni volitioni duplex voluntas, sed vnica, quia intellectus est vnicus actus intellectus, & vna volitio est vnus actus voluntatis; item vni supposititalitati non correspondet duplex natura, sed vnica, quia supposititalitas est vnus actus naturæ, quæ tanquam potentia respondet: ergo vni actui, vna potentia respondet: ratio à priori est, quia actus potentia est exercitium illius; atqui vni cum exercitium non petit duo exercibilia, sed vnum: ergo vnus actus petit vnā potentiam, præsertim quia vna entitas non potest esse intrinsece in duplici subiecto, quod adeo verum est in senten-

tia Thomistarum, cum quibus pugnamus, ut adhuc diuinitus non possit esse vnus accidens in duplici subiecto, & vna forma substantialis in duplici materia prima; sed existentia est actus intrinsecus essentia, & intrinsece efficiens ipsam: ergo existentia non potest habere duplicem essentiam in qua intrinsece sit, & quam intrinsece actuatur, & efficiat reddatque actualem; & actu existentem; alias sicut tu vni existentia ponis correspondentem duplicem essentiam, ego possem ponere duplicem naturam correspondentem vni supposititalitati, & duplicem voluntatem vni volitioni, &c. sed hoc est omnino falsum, quia vnica perfectio intrinseca, & vnus actus intrinsecus non potest actuare & perficere intrinsece duplicem potentiam perfectibilem: ergo etiam est absurdum dicere, vnica existentiam hominis actuare duplicem essentiam, vnā per identitatem, alteram per vnionem intrinsecam realem: ergo tantum datur vnica essentia, quæ actuatur per existentiam & constituit quidditative ipsam existentiam, ac proinde sit idem cum existentia, ut patet ex demonstratione nuper facta.

Secundo contra; quia non est maior ratio, quare vnā essentiam actuatur existentia per identitatem & alteram per coniunctionem realem; nam existentia est actus naturalis, & vniformis, ac proinde eodem modo actuatur & perficit propriam potentiam cui correspondet.

Deinde; quia si essentia existentia, quam constituit quidditative etiam si sit vera essentia æternæ veritatis, & existentia sit temporalis, & contingens, non distinguuntur inter se, etiam non distinguuntur existentia hominis ab existentia hominis, etiam si essentia sit necessaria, æternæ veritatis, & existentia hominis sit contingens, quia non est maior ratio vnus, quam alterius, ut amplius patebit in re-tortione præcipui argumenti Adversariorum in fine huius questionis pro hac nostra conclusione faciendā, videatur, ubi evidenter demonstravimus, rationem præcipuam Adversariorum nullius momenti esse, ex eo quod evidenter retorquetur contra ipsos.

Ultimo contra; quia essentia ipsa hominis, quam asseris, distingui ab existentia hominis constituitur formalissime per ipsam existentiam hominis inesse entis simpliciter: ergo constituitur formalissime in esse essentia hominis; sed formalissimum constitutum essentia hominis in esse essentia non distinguitur ab ipsa essentia hominis: ergo existentia hominis non distinguitur à parte rei ab ipsa essentia hominis: consequentia illa prima est evidens, quia idem sunt in homine formalissime essentia, & ens, quia ens quatenus tale est prædicatum quidditativum adæquate, & totaliter transcendens ultimas differentias hominis, ac proinde est primum, intimum, & omnino necessarium prædicatum hominis, sine quo nec esse, nec intelligi potest homo; sed huiusmodi prædicatum est essentia, & quidditas hominis: ergo ens in homine est ipsa formalissima essentia, & quidditas hominis, sed existentia constituit hominem, & essentiam hominis in formalissimo conceptu essentia, & quidditas hominis. Minor illa est evidens in omnium sententia: ideo enim prædicata essentialia hominis distinguuntur à parte rei ab ipsa essentia hominis, neque definitio obiectiva distinguitur à definitione, v. g. animal rationale ab essentia hominis, quia prædicata quidditative, & definitio obiectiva constituent quidditative, & essentialiter essentiam definiti in esse essentia, & ratio evidens à priori

priori est, quia prædicata essentialia, & definitio obiectiva non componentur essentialiter per unionem realem, sed potius simplicissime per omnium maximam, & maxime intimam constitutionem; quæ per identitatem est, ut supra dixi: ergo constitutiva quidditativa essentia in esse essentia formalissime non distinguuntur ab ipsa essentia vlllo modo à parte rei, sed potius sunt formalissime omnino idem cum tali essentia.

38 Antecedens primum & principale est certissimum; quia illud, quod constituit aliquid in suo esse, constituit illud in esse entis; sed existentia constituit hominem in suo esse: ergo constituit hominem in esse entis formalissime. Maior est certissima ex supra dictis; nam esse, & ens idem sunt formalissime, & solum distinguuntur quoad voces eo modo, quo ens, & entitas; sicut existens, & existere, quapropter sicut est evidens, quod illud, quod constituit hominem in suo existere, constituit ipsum in esse existentis, & sicut id, quod constituit hominem in suo vivere substantiali, constituit ipsum in esse viventis substantialiter, ita similiter est evidens id, quod constituit hominem in suo esse, constituit ipsum in esse entis, ex quo sic argumentor.

39 Quia non potest res aliqua intrinsecè ac formaliter constitui in ratione entis realis, & actualis per aliquid distinctum ab ipsa re actuali; quia sicut res ipsa constituta per se ipsam est ens, quia essentia ipsius est esse ens, ex eo quod ens sit prædicatum transcendens, & quidditativum rei, ita per se ipsam, & non per aliquid additum constituitur in esse entis; nam sicut homo, quia per se ipsam est formaliter homo, ideo quidditativus, & essentialiter est homo, ita etiam res per se ipsam formaliter est ens, & non per aliquid distinctum à se ipsa, quia quidditativus est ens, imò magis quidditativus, ut ita loquar, quam homo, est rationalis, quia ens est prædicatum transcendens, & rationale non est transcendens in homine: ergo sicut homo non constituitur per aliquid distinctum à parte rei in esse hominis & rationalis, ita & a fortiori non constituitur in esse entis, & in suo esse absolute per aliquid distinctum à se ipso à parte rei.

40 Sed homo constituitur in suo esse absolute, ac proinde in esse entis absolute formalissime per existentiam propriam: ergo existentia propria non distinguitur à parte rei ab ipso homine, neque ab essentia illius, siquidem essentia, & quidditas hominis est ipse homo.

41 Dices, existentiam non constituit hominem in suo esse absolute, sed potius in esse actuali, ac proinde non constituit in esse entis absolute, sed solum in esse entis actualis; ac per consequens non constituit hominem in sua essentia, sed potius in formalitate distincta ab essentia: sed contra primo, quia ens, & esse simpliciter sunt idem, ac ens, & esse absolute; sed existentia constituit rem in esse entis simpliciter, ut in probatione secundæ minoris late probatur: ergo existentia constituit rem in esse entis, & esse absolute.

42 Contra 2. manifeste, quia essentia potest dupliciter sumi, aut quatenus est tantum possibilis, seu in statu possibilitatis; aut quatenus est actualis; si sumatur ut possibilis tantum, convertitur cum ente & cum esse possibili; unde sicut est essentia possibilis, ipsa est esse, & ens possibile, ita ut hæc tria ens, esse, possibile, & essentia possibilis sint synonyma; unde nullo modo distinguuntur à parte rei, sed potius identificantur omnino; ergo quicquid constituit essentiam in esse entis, & esse possibili, constituit ipsam essentiam in esse essentia possibilis, & sic quia essentia per se ipsam est for-

maliter essentia possibilis, per se ipsam formaliter est ens, & esse possibile, ac per consequens sicut non potest constitui formaliter essentia possibilis in esse talis essentia per aliquid distinctum à se ex natura rei, ita ipsa essentia possibilis nullo modo potest constitui in ratione entis possibilis, & in esse possibili per aliquid distinctum à se ipsa formaliter à parte rei.

Si autem sumatur ut actualis, id est quatenus actu est realis essentia, etiam convertitur formalissime cum ente actu, & cum esse actu; quare synonyma sunt, ens absolute actu, esse absolute actu, & essentia absolute actu: Tunc sic: essentia actu, quia per se ipsam formalissime est essentia actu, non constituitur in esse essentia actualis per aliquid distinctum ab ipsa essentia; sed ipsa essentia actu, seu actualis est synonyme ens actu formalissime, & esse actu formalissime: ergo non per aliquid distinctum à se ipsa à parte rei, est ens actu, & esse actu. Antecedens illud primum est certum; nam sicut se habent existens, existere, & existentia, sic se habent ens, esse, & essentia; nam sicut existens est participium *existens*, existentia est nomen derivatum ab *existens*, & existere est infinitivum verbi *existens*, ita similiter ens est participium verbi *sum*, & essentia est nomen derivatum à verbo *sum*; & esse est infinitivum illius verbi: ergo sicut se habent existens, existentia, & existere, sic se habent ens, essentia, & esse; sed existens, existentia, & existere idem omnino significant ex parte obiecti, ita ut sint synonyma; ergo similiter ens, esse, & essentia erunt synonyma, & significabunt idem omnino ex parte obiecti. Quod totum patet ex verbis D. Augustini lib. 12. de civit. Dei, cap. 2. ubi, tanquam synonymis vtitur esse, & essentia, ibi: [cum enim Deus summa essentia sit, hoc est summe sit, & ideo immutabilis sit, rebus quas ex nihilo creavit, esse dedit; sed non summe esse sicut ipse est, & aliis dedit esse amplius, aliis minus, atque ita naturas essentiarum gradibus ordinavit, sicut enim ab eo, quod est sapere, vocatur sapientia, sic ab eo, quod est esse vocatur essentia nouo quidem nomine, quo vti veteres non sunt latini sermonis Authores, sed iam nostris temporibus vtitur, ne deesset etiam lingua nostra quod Græci appellant οὐσίαν; hoc enim verbum è verbo expressum est, ut diceretur essentia, ac per hoc ei natura, quæ summa est qua faciente sunt quæcunque sunt contraria natura non est, nisi quæ non est, ei quippe quod est, non esse contrarium est, & propterea Deo id est summe essentia, & auctori omnium, qualicumque essentiarum essentia nulla contraria est.] sic ille; quibus aperte demonstrat, essentiam, & esse synonyme se habere, quia essentiam per esse explicat, ut patet ex illis verbis; cum enim Deus summa essentia sit, hoc est summe sit: ecce per summe esse summam essentiam explicat. Quod amplius patet ex illis verbis, sicut enim ab eo, quod est sapere vocatur sapientia, sic ab eo, quod est esse, vocatur essentia; quid clarius & evidenti-
us ad nostram veritatem declarandam poterat excogitari? ergo in sententia D. Augustini esse, & essentia synonyma sunt; unde esse actu, essentia actu, & ens actu similiter synonyma erunt, ac proinde idem omnino erunt in homine, v. g. esse actu, & essentia actu; quod etiam expressis verbis docuit D. Thomas, q. 3. de potentia, art. 5. ad 2. ibi: Ex hoc ipso quod quidditati esse tribuitur, non solum esse, sed ipsa quidditas creati dicitur, quia antequam esse habeat, nihil est, nisi forte in intellectu creatantis, ubi non est creatura, sed creatrix essentia. Sic Angelicus Doctor; ubi duo expresse docet, primum, quando creatur esse, creati etiam quidditas, quia quidditas est ipsum esse, secundum quod dicit continetur illis verbis, quia antequam

tequam esse habeat, nihil est, ac si diceret, quidditatem non esse talem per aliquid distinctum ab ipso esse, quia quidditas nihil aliud est, ac esse; ac proinde antequam habeat esse, nihil est: ergo pro certissimo habendum est essentiam, quidditatem, esse, & ens actu esse synonyma, & omnino idem.

44 Consequentia illa prima est manifesta à paritate rationis, nam ubi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis; sed tota ratio formalis, propter quam essentia actualis non constituitur per aliquid distinctum à se formalissime in esse essentia actualis est, quia per se ipsam est formalissime talis; sed hæc eadem ratio formalis reperitur in esse actuali, & in ente actuali respectu ipsius essentia actualis, si quidem sicut per se ipsam est essentia actualis, ita per se ipsam est actu ens, & actuale esse: ergo datur idem effectus, vel quasi effectus formalis in hac constitutione, scilicet quod in esse entis actu, & in esse actu non constituitur essentia actualis per aliquid distinctum ab ipsa essentia actuali à parte rei.

45 Quod autem essentia actualis per se ipsam sit ens actu & esse actu ex dictis est manifestum, siquidem ens actu, & essentia actu sunt synonyma, atqui per id, quo constituitur vnum synonymum sine dubio constituitur aliud, nam per id, quo constituitur aliquid, constituitur idem ipsum, unde per id, quo constituitur gladius, constituitur ens, & eo modo, quo est Deus, est ens increatum, quare si gladius per se ipsam est gladius, per se ipsum erit ens; sed essentia actu, & ens actu sunt synonyma: ergo eo modo erit essentia actu talis, ac ens actu seu actuale esse; sed per se ipsam res est essentia actualis: ergo per se ipsam res est ens actu, & esse actu sine aliquo addito ex natura rei ab ipso: v.g. homo est per se ipsum animal rationale actu; sed ens actu in homine quatenus est prædicatum quidditativum & transcendens est omnino idem cum animali rationali actu, ut patet ex supradictis contra Scotum: ergo homo per se ipsum est ens actu animal rationale, ac proinde per se ipsum, & non per aliquid distinctum à se erit ens actu, esse actu, esse animal rationale actu: ergo res nullo modo potest constitui in esse entis, & in esse actu per aliquid distinctum à se ipsa.

46 Quod sic demonstro & declaro supradicta; nam omnis forma realiter distincta à potentia, quam actuat, componit cum illa vnum compositum, unde talis actus potest dici causa formalis, vel respectu compositi vel respectu potentia, vel alterius quasi partis componentis, quin absque tali actu, vel forma esse non possit; respectu igitur compositi verissime dicitur talis actus formaliter, & intrinsece constituere, non tamen potest omnino condistingui ab illo, sed necessario includitur in eo, & distinguitur ab ipso, ut pars à toto, quia talis actus non potest esse tota entitas composita, cum necessario includat aliam partem, vel potentiam, cuius est actus; at vero si comparatur actus ad aliam rem vel potentiam cuius est actus, non potest intrinsece & formaliter constituere propriam entitatem eius, quia illa entitas non est composita, sed simplex, alioquin non esset altera pars componentis, sed totum compositum, quod in reali compositione ex rebus distinctis prorsus repugnat, & etiam, quia alioqui constaret illa entitas, seu pars, quæ incipit actu ex illo actu, & aliqua alia re, de qua rursus inquiram an constituitur intrinsece, & formaliter per illum actum; nam si hoc affirmetur, procedemus ulterius in infinitum; si vero negetur, concluditur intentum, nimirum potentiam proprie componentem cum actu realiter distincto non posse intrinsece & formaliter constitui per ipsum actum, quocum componit, atque ita cum sit ultima resolutio ad

prima, seu simplicissima componentia, necesse erit, ut illa entitas, quæ ad alteram comparatur, ut potentia ad actum non constituitur intrinsece, & formaliter per illum actum nimirum per aliam partem in suo esse intrinseco, videlicet in sua propria intrinseca entitate & esse, licet fortasse illam postulet, ut sit: sicut materia petit formam, sic essentia constituit vnum existens cum essentia, tamen respectu entitatis essentia nullo modo posset intrinsece illam constituere aut cōponere, quia vna ab alia condistinguitur, ut entitas simplex ab entitate simplici distinctione excludentis ab excluso, non autem distinctione includentis ab includo, quia hoc modo non distinguitur potentia ab actu; sed effectus formalis actus ab ipso actu; atqui potentia, quæ actuatur ab actu, non est effectus formalis talis actus: ergo ille non constituit in sua entitate potentiam, quam actuatur sicut forma rationalis non constituit materiam primam in entitate sua intrinseca, seu in esse intrinseco materia primæ; sicut supposititas non constituit naturam in esse intrinseco naturæ, nec in entitate intrinseca illius, licet constituat in esse subsistentis: ergo existentia si est actus distinctus ab essentia actuali, non constituit ipsam essentia in esse intrinseco essentia, neque in esse entitativo essentia, sed potius supponit iam essentia constitutā in suo esse actuali, & in sua entitate intrinseca actuali.

Sed esse actuale essentia, & esse ens actu in essentia est ipsum existere essentia: ergo si supponitur existentia distincta ab essentia, erit essentia existens ante existentiam, ac proinde habebit essentia existentiam ante ipsam existentiam, quod est omnino falsum: ergo dicendum est, quod sicut essentia actualis per se ipsam præficio quocumque alio distincto à se à parte rei habet entitatem realem, & esse reale actu, ita per se ipsa existere actu sine aliquo alio addito distincto à se ipsa, quia ut supra vidimus, idem est in rebus omnino ens actu, esse actu, & existere actu.

SUBSECTIO III.

Amplius declarantur dicta.

47 Via in essentia hominis, v.g. non distinguitur ab ipsa essentia à parte rei gradus superior, v.g. animal, & substantia si cum proportionem sumantur; v.g. si animal actu, & substantia actu comparantur cum essentia hominis actu, quia si comparantur substantia possibilis, & animal possibile, cum actuali essentia hominis distinguntur sine dubio ab illa à parte rei, quia possibile, vel possibile, siue sit negatiuum, siue positiuum, separatur realiter ab essentia actuali, ac proinde distinguntur realiter, contra vero si animal possibile, & substantia possibilis comparantur cum essentia hominis possibili, non distinguntur realiter, quia certissimum est apud nos, & apud Aduersarios contra Scotum, & Scotistas, gradus superiores metaphysicos, aut prædicata quidditativa communia non distingui vilo modo à parte rei à prædicatis inferioribus & ab speciebus, & indiuiduis constitutis per ipsa, sed ens reale actuale est prædicatum commune transcendens, & gradus metaphysicus, qui prædicatur quidditative de essentia hominis: ergo ens reale actuale nullo modo distinguitur à parte rei ab essentia hominis actuali; sicut neque ens possibile ab essentia hominis possibili; sed ens reale actuale est ipsa essentia hominis, seu existere reale: ergo existentia, & existentia, siue existere reale: ergo existentia, & existentia, siue existere reale nullo modo distinguntur à parte rei ab ipsa essentia hominis actuali, & reali. Minor illa est evidens, quia sicut ens, & esse sunt synonyma, ita ens reale actuale & esse reale actuale sunt synonyma; sed esse reale actuale est synonymum existentie realis, ac proinde idem, quod existentia realis: ergo ens reale actuale est